



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXXVIII. De Sacrificio & Adoratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

CAPVT XXXVIII.

De Sacrificio & Adoratione.

Constat 4. Dubitationibus.

Sequuntur actus externi Religionis, inter quos primum locum obtinent sacrificium & adoratio; his enim manifestissimè cultus deferatur: sacrificio per rem externam, adoratione per corporis gestum. Sacrificio affines sunt oblationes & primitiæ, de quibus etiam breuiter aliquid dicemus.

DUBITATIO I.

Quid sit adoratio.

1 Προσκύνησις.



NOTANDVM Primò, Adorationem Græcè dici προσκύνειν, quasi dicas adosculacionem, à κύνειν, quod idem est quod κύνω osculor, vt ex Homero constat. solent enim antiqui venerari homines & deos, osculando genua, vel caput, vel humeros. Hebræi aliquando exprimunt per verbum נָחַתָּה, quod se incuruare significat, à verbo נָחַת, aliquando per שָׁבַד, quod seruire. Hinc factum est vt 70. & Scriptores sacri noui Testamenti adorationis actum sepe exprimant per verbum δουλεύειν λατρεύειν, (quæ significant idem quod seruire) secuti Hebraismum.

2 Nomina cultum significantia sunt communia Deo & creaturis.

Notandum Secundò, Omnia hæc nomina esse communia Deo & creaturis; & quemuis cultum honorarium, siue is religiosus sit siue politicus, significare, aliquando enim significant honorem qui tribuitur hominibus vel Angelis: nam Genes. 18. Abraham adorauit in terram Angelos. & Gen. 19. Loth adorauit Angelos pronus in terram. 3. Reg. 1. Inclinauit se Berisabee & adorauit Regem. & infra, Nathan adorauit Regem pronus in terram. & alibi sæpe. quibus locis apud 70. est προσκύνειν, Hebraicè, נָחַתָּה. Eadem alibi significant honorem diuinum. Exod. 20. v. 5. Non adorabis ea. 70. Οὐ προσκυνήσεις. Hebr. נָחַתָּה. Sic Matth. 4. Adoratio & προσκύνειν accipiuntur pro cultu diuino; Gal. 4. Iis, qui non sunt natura dy seruiebatis; Græcè ἐδουλίωσατε. aliquando pro cultu & obsequio humano; ad Gal. 5. Per charitatem seruitemus inuicem, Græcè δουλίωσατε. Sic λατρεύειν apud profanos significat obsequia seruilia obire, famulari, & seruiliter aliquem colere; (vt ex Hesychio & Suida patet) tamen in nouo Testamento, & (exceptis duobus vel tribus locis) etiam in veteri semper accipitur pro cultu qui Deo debetur. Vide D. Augustinum lib. 10. de ciuit. cap. 1. & Ludouicum Vniem ibidem.

3 Ex his patet, quando in Scripturis vel Patribus inuenitur nomen adorationis, vel cultus, vel seruimus, vel aliud æquiualens, ex subiecta materia & circumstantiis iudicandum, vtrum accipiatur pro cultu diuino, an pro inferiore; nam nomina ipsa per se generalia sunt, & nunc sic nunc aliter vsurpantur: quod est valdè notandum contra hæreticos.

His positis, Adoratio dupliciter accipitur. Primò, Generatim, vt complectatur etiam sacrificium & oblationem. Sic Ioan. 4. Venit hora quando generasim. neque in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis Patrem; nempe per sacrificium. nam de loco, vbi Deo sacrificium offerri deberet, quærebat Samaritana: de eo enim erat questio inter Iudæos & Samaritas. sic sapissimè accipitur in Scripturis.

Secundò, Propriè; & sic nihil est aliud quàm honor externo corporis gestu exhibitus, vt genuflexione, capitis apertione, inclinatione, osculo manus & pedum, corporis in terrâ prostratione, &c. his enim & similibus modis alios honoramus; testamur enim nostram submissionem, & alterius excellentiam. Itaque adoratio propriè consistit in externo illo gestu, quatenus est signum internæ æstimationis, reuerentiæ & submissionis erga alterum, & consequenter illius quoque excellentiæ.

Notandum est, etiam omnem externam adorationem secundum se esse adiaphoram, & posse tam creaturis quàm Deo exhiberi: nam genuflexio, & totius corporis in terram prostratio, (quæ summæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi solent; vt ex Scripturis patet, Genes. 43. & 50. 3. Reg. 1. 4. Reg. 4. Actor. 10. Itaque à sola intentione pendet, quòd per hæc, ista vel illa honoris species deferatur. si enim externâ illâ submissionis notâ intendas te alteri submittere tamquam Deo, & testari eius diuinitatem, erit cultus latræ; si vt amico Dei, erit dulxiæ; si vt viro sapienti, potenti, erit obseruantia politica. Vnde idem actus externus, quatenus successiuè potest procedere à diuersâ intentione, & accipi vt signum diuersæ excellentiæ in honoratis, & diuersæ æstimationis, reuerentiæ & submissionis in honorante, potest successiuè esse actus latræ, dulxiæ, & obseruantia politica.

DUBITATIO II.

Quid sit sacrificium propriè dictum.

Hæretici, vt excludant vnicum & verum Ecclesiæ sacrificium, ita rationem sacrificij explicant, vt vel omne opus bonum, vel saltem omne id quod Deo offertur, velint esse propriè dictum sacrificium. vnde Philippus Melancthon in Locis communibus, tit. de sacrificio eucharistico, sacrificium dicit esse omne opus, quod Deo reddimus, vt eum honore afficiamus. & Caluinus lib. 4. Institut. cap. 18. §. 13. 16. 17. omnem oblationem, etiam si nulla fiat circa illam immolatio, vult esse verum sacrificium. Idem ferè docent alij hæretici, vt refert Gregorius à Valentia Apol. de sacrificio Missæ, & Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 2.

Sed certum est, & fide tenendum, neque omne opus bonum, neque omnem oblationem esse verum & propriè dictum sacrificium.

Prior pars probatur Primò, Quia apud omnes Gentes

4 Adoratio generasim.

Speciatim.

5 Omnis externa adoratio per se adiaphora.

6 Hæreticorum sententia.

7 Non omne opus bonum est propriè dictum sacrificium.

Gentes sacrificium est aliquod opus speciale, cuius laus in eo sita est, quod per illud colatur diuinitas. nam vt D. Augustinus lib. 10. de ciuit. c. 4. ait: *Nemo unquam sacrificandum censuit, nisi eum quem aut Deum scimus, aut putauit, aut finxit.* Hoc autem non conuenit cuius operi bono, vt ieiunio, eleemosynæ; hæc enim per se nullum cultum præ se ferunt, sed solum castigationem carnis, & beneficentiam in proximum.

Ad sacrificium requiritur sacerdos & altare.

Secundò, Quia ad sacrificium requiritur sacerdos, & altare. Sacerdos quidem, quia offerre sacrificium est proprium munus sacerdotis, vt constat ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus; pro hominibus constituitur in his que sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia.* Hinc Ozias Rex, cum non esset sacerdos, & sacrificium offerre uellet, à Deo punitus fuit; quia officium sacerdotibus proprium usurpauit, 2. Paralip. 14. & Saul ob eandem causam à Deo reiectus & priuatus regno, 1. Reg. 13. Idem confirmatur ex nominum affinitate; nam apud Latinos sacrificus & sacerdos idem ualent: & apud Græcos ἱερός uel sacrificare, dicitur ab ἱερός, quod sacerdotem significat: unde perspicuum est, sacrificare esse proprium sacerdotum.

Altare requiri, constat tum vsu omnium Gentium, tum ex Scripturis, ubi altaria non leguntur erecta, nisi ad vltim vel ad significationem sacrificij. nam etiam illud filiorum Ruben & Gad, de quo Ios. 22. erectum fuit ad sacrificium, non quidem vt in illo offerretur, sed vt per illud posteritati significarent se habere ius offerendi sacrificij cum reliquis tribubus, quæ transierant Iordanem: tum denique quia altare nomen habet à sacrificio, apud Græcos & Hebræos; Græcè enim altare dicitur θυσιαστήριον à θύω, quod sacrificium significat: & Hebræicè altare dicitur מזבח, quod sacrificium denotat.

Tertiò, Si omne opus bonum esset sacrificium, omnis homo iure naturæ propriè esset sacerdos; quia iure naturæ obligatur ad opera bona: atqui id est absurdum, & contra commune iudicium generis humani: sic enim nascentur sacerdotes, non consecrarentur, & feminae sacerdotes erunt.

Dices, Opus bonum esse sacrificium, non quidem per se, sed vt fit ad honorem Dei; sic enim est cultus Dei.

8

Respondeo, Primò, Nihilominus sequitur, omnem hominem iure naturæ esse propriè sacerdotem; quia Deum bonis operibus colere debet. Secundò, Hinc solum conficitur, omne opus bonum à virtute Religionis imperari posse, & ad finem sacrificij (qui est honorare Deum) dirigi: esse autem imperatum à tali virtute, nihil ponit in actu externo, sed tantum insinuat ipsum ab effectu patriæ procedere: quod non sufficit vt fiat propriè actus Religionis, (sicut adoratio, laus, votum, iusiurandum) cum non ideò speciem cultus præferat: multò minùs sufficit vt fit sacrificium, quod perfectissimum cultum continet.

Obiectio- nes.

Nec obstat, quòd contritio, eleemosyna & quoduis opus iustitiæ, in Scripturis uocetur sacrificium; Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* & Psal. 4. *Sacrificate sacrificiū iustitiæ.* ad Hebr. vlt. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur* (Græcè δακρυόσπονδος) placatur) Deus: quia nomen sacrificij ibi largè sumitur pro omni opere, quod instat sacri-

ficij Deum placat & conciliat. Vide Chrysostomum in Psal. 95. ubi decem genera talium sacrificiorum enumerat. Primum, Sacrificium martyrij. Secundum, Deprecationis. Tertium, Iubilationis. Quartum, Iustitiæ. Quintum, Eleemosynæ. Sextum, Laudis. Septimum, Compunctionis. Octauum, Humilitatis. Nonum, Prædicationis. Decimum, Beneficentiæ in Sanctos. Quando strictè & propriè accipitur, à bonis operibus distinguitur. 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam uictime.* Ose. 6. *Misericordiam uolo, & non sacrificium.* Psal. 50. *Si uoluisses, sacrificium dedissem.* uide Melchiorum Canum lib. 12. de locis, cap. 13. Rursus non obstat illud Augustini lib. 10. de ciuit. c. 6. *Sacrificium uerum est omne opus bonum, quod agitur, ut sancta societate inhereatur Deo, uelatum scilicet ad illum finè boni, quo ueraciter beati esse possimus:* quia accipit nomen sacrificij late pro omni opere, quo assequimur sacrificij finem seu effectum, qui est adherere Deo, eique placere. uocat tale opus sacrificium uerum, vt distinguatur à sacrificio externo animalium; non quòd perfectiorem rationem sacrificij habeat, sed quia effectum sacrificij perfectius præstat: melius enim Deum placat quàm externum solum. Hanc esse mentem Augustini, patet ex cap. præcedente. Simili modo Dominus Ioan. 15. dicit, *Ego sum uitis uera;* nimirum quia mysticè præstat excellenter ea quæ uitis sunt. Sic tyrannus dicitur uerus leo: abstinere à peccatis, uerum ieiunium, &c. huiusmodi formæ loquendi crebræ sunt non solum in Scripturis, sed etiam in vsu quotidiano.

Altera pars probatur Primò, Quia Scriptura passim distinguit oblationes à sacrificijs. Psal. 50. *Oblationes & holocausta.* Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti.* ad Hebr. 5. *Vt offerat dona & sacrificia.* Secundò, Quia multa in Scripturis dicuntur offerri, quæ tamen non possunt dici sacrificari; vt primogeniti, primitiæ uariarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, & similia. Vide Exod. 25. & 35. ergo sacrificia differunt ab oblationibus. Tertiò, Quia ad sacrificium requiritur aliqua rei mutatio, vt itatim ostendam: hoc autem non requiritur ad oblationem. Quartò, Sacrificare est proprium sacerdotum; oblationes facere quibus potest. Quintò, Ad sacrificium requiritur altare; ad oblationes minime.

His refutatis, Notandum est, ex Scripturis colligi, quinque ad perfectum & propriè dictum sacrificium requiri. Primum, Ex parte ministri. Secundum, Ex parte materia. Tertium, Ex parte formæ. Quartum, Ex parte finis. Quintum, Ex parte loci.

Ex parte ministri requiritur vt sit sacerdos, vt ex Apostolo ad Hebr. 5. & ex aliis iam dictis numer. 7. constat. Sacerdos dicitur qui legitima auctoritate ad offerendum sacrificium est deputatus. Ratio est, quia cum sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo diuinitas ab hominibus colitur; par est vt non fiat passim à quouis, sed à personis selectis, ad hoc peculiariter deputatis, vt nomine omnium faciant, per quos & ceteri censeantur Numen colere & sacrificare. Vnde apud omnes Gentes sunt aliqui peculiariter deputati, vt numen, quod sibi delegerunt, publico nomine colant & placent. Horum est offerre sacrificia. Idem patet ex ueteri Testamento, ubi sacrificia non nisi à sacerdotibus offerebantur.

Decem genera sacrificiorum.

Omne opus bonum quo modo sacrificium dicitur.

10. Nō omnes oblationes esse sacrificium.

11. Quinque requiri ad perfectum sacrificium.

Minister.

Confirmatur, quia sacrificium est præcipua carimonia externa, qua populus in vnum nomen religionis conspirat. per illud enim omnes simul instar vnius corporis Deum colunt, & religionem suam testantur. oportet enim aliquas esse actiones ac carimonia externas, quibus non solum singuli seorsim, sed etiã tota Resp. iunctim, veluti vnum corpus politicum vna eademque religione imbutum, diuinum Numen veneretur, eiusque summum principatũ & suam subiectionem profiteatur; cum etiam omnes simul Deo subiecti sint, & totum bonũ commune ab ipso dependeat. Itaque cum inter has primum locum teneat sacrificium, necesse est vt sint aliquæ personæ publico nomine ad hoc deputatæ, quæ sacerdotes dicuntur.

12
Qui sacer-
dotes in le-
ge natura
fuerint.

Nec obstat quòd in lege naturæ non videantur fuisse sacerdotes, cum tamen fuerint sacrificia: quia tunc vel primogeniti erant sacerdotes, vt docet Hieronymus in quæst. Hebraicis, agens de Melchisedech, vbi dicit, esse traditionem Hebræorum, omnes primogenitos à Noë vsque ad Aaron fuisse sacerdotes: iidem etiam habebant auctoritatem quasi regiam, & multas alias prærogatiuas, vt eruditè ostendit noster Pererius tomo 2. in Gen. cap. vlt. In eadem sententia est Eucherius, Glossa, & Lipomanus in illud Gen. 25. *Vende mihi primogenita tua.* Vel certè quibus patetfamilias sicut habebat auctoritatem quasi regiam in suos, ita etiam sacerdotalem; quod etiam est valdè verisimile. illi enim optimè congruebat pro tota familia offerre. Sic Iob pro liberis suis sacrificabat, eosque sanctificabat, vt habetur c. 1. lib. Iob. Adde, quosdam tunc etiam peculiari instinctu Dei fuisse ad sacrificandum impulsos, vt Abel, Abraham, Iacob, & similes, qui hoc ipso fuere constituti sacerdotes, quo potestatem sacrificandi acceperunt. Similiter non obstat, quòd in lege veteri agnus Paschalis à singulis familiis immolabatur, vt constat Exod. 12. quia singuli patresfamilias ad hoc sacrificium erant sacerdotes: idque vel peculiari deputatione & ordinatione Dei; vel antiqua auctoritate, quæ erat tempore legis naturæ, concessu Dei quoad hoc sacrificiũ per teuerante, in reliquis abolita; cuius signum est, quòd sacrificium agni Paschalis institutum fuerit ante legem veterem, & ante huius legis sacerdotium. vnde in eo instituendo seruata est consuetudo, quæ erat tempore legis naturæ; nempe vt à singulis capitibus familiarum offerretur: quæ paulò post in monte Sina quoad alia sacrificia est abolita, instituto sacerdotio Aaronico.

Res sensi-
bilis.

Secundò, Ex parte *materia* requiritur res aliqua sensibilis externa, viua vel inanima: omnia enim, quæ sensu gentium, vel in Scripturis dicuntur propria sacrificia, versantur in re huiusmodi.

13
Mutatio.

Tertiò, Ex parte *forme* requiritur illius rei perceptio, vel aliqua alia conueniens mutatio. hoc enim potissimum differt sacrificium ab oblationibus. Probatür Primò, Nam omnia sacrificia legis naturæ & veteris, quantum ex Scripturis colligi potest, fiebant non simplici oblatione ad altare Domini; nec sola eleuatione; sed rei destructione facta ad honorem Dei. quædam enim per occisionem sacrificabantur, vt viuientia; quædam per combustionem, vt carnes animalium occisorum, & res inanimæ solidæ, vt similia, sal, thus; quædam per effusionem, vt sanguis, vinum, aqua. vide c. 1. & 2. Leuit. Idem patet ex sacrificiis ethnicorum.

Secundò, Idem colligitur ex ipsis nominibus; nam *sacrificare* Græcis est *θύειν*, Hebraicis *זָבַח* quorum vtrumque significat occidere, mactare: & nomen sacrificandi etiam dicitur à re aliqua facta facienda, tamen sapissimè accipitur pro occidere, quod signum est, sacrificium vel ipsa rei interemptione fieri, vel cum ea coniunctũ est. Ratio est, quia cum res perimitur, eripitur vsibus humanis, & perfectius videtur tota in honorem Dei cedere, & significare supremum eius in omnia dominatum, omniaque ab ipso pendere. Nec obstat, quòd in sacrificio panis & vini, quod obtulit Melchisedech Gen. 14. non videatur vlla facta mutatio: quia etiam Scriptura non explicet quomodo obtulerit; non videtur tamen dubitandum, quin eo modo, quo alia res inanimæ sacrificari solent, id fecerit, nimirum sistendo totum in altari coram Deo; deinde aliquam partem igne consumendo, vel libando: fruges enim in sacrificijs torreri vel incendi solent, & liquida effundi. Nec opus erat totum ita consumi quando non erat holocaustũ, sed particulam aliquam; reliquis referuatis sacerdoti, & alijs, qui sacrificij debebant esse participes: vt fieri solet in hostijs pacificis.

Aduertendum tamen, non esse necessarium ad rationem sacrificij, vt res perimatur. sicut enim peremptione rei, ita etiam conuersione vnius in alteram, supremum dominium & suprema potestas Dei, nostraque subiectio & seruitus designari potest: ac proinde talis conuersio, à Deo in sacrificium institui potest; ipsius enim est constituere, quibus rebus & signis coli debeat, & supremum suum principatum significari velit. vnde potest quascuis res, & quascuis mutationes ad hoc idoneas assumere. Sic in noua lege sacrificium constituit in conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, per verba consecrationis; & simul potestatem ad sic offerendum dedit, sacerdotio ad hoc proportionato erecto. Simili modo potuisset instituere in conuersione aquæ in vinum vel in sanguinem, lapidis in panem, plumbi in aurum, virgæ in serpentem, serpentis in ouem, &c. data hominibus potestate accommodata ad hæc per verba vel alia signa sensibilia efficienda.

Petes, Cum in conuersione vnius in aliud, duo sint, id quod conuertitur (quod desinit esse secundum suam speciem) & id in quod conuertitur, quod incipit esse vel absolute, (vt si antè non erat) vel secundum quamdam sui replicationem, vtrum ex duobus censeatur hostia?

Respondeo, Id in quo fit conuersio: id enim potissimum intenditur per illam actionem: quia vt illud incipiat esse, alterũ desinit; estque hoc illius veluti materia: vnde etiam Deus magis intendit honorari per illam actionem conuersiuam vt ponit terminum ad quem, quam vt tollit terminum à quo. Exemplum habemus extra mysterium Eucharistiæ in oblatione thuris, quæ fit per conuersionem thuris in suffitum. hic enim potius sacrificatur suffitus, in quem thus conuertitur, quam ipsum thus, quod est suffitus materia. Idem cernitur in concrematione holocaustorum, & aliarum rerum quæ per ignem offeruntur. Vnde non est mirandum, in sacrificio Eucharistiæ hostiam esse Corpus Christi, in quod fit conuersio, non panem, qui conuertitur: quamuis eadem actione etiam offeratur panis secundariò & comitanter. totum enim, quod ibi fit, ad diuinum principatum, non

14
An debeat
periri.

Sufficit
conuersio.

15
Id in quod
fit conuer-
sio, est prin-
cipalis ho-
stia.

Oblatio
thuris.

Atamque subiectione testandam agitur. Quod si in aliqua conuersione intenderet magis honorari desitione termini à quo; tunc terminus à quo esset hostia, & ratio sacrificij consisteret in actione conuersiua, quatenus illum tollit à medio. Exemplum dari posset in occasione animalium, si illa actio non solum esset destructiua, sed etiam productiua formæ cadaveris, (vt multi volunt:) tunc enim esset verè & propriè conuersiua; & sic daretur conuersio, quæ primariò haberet rationem sacrificij, quatenus est destructiua termini à quo, scilicet animalis; secundariò verò vt est productiua cadaveris, quod etiam eadem actione offerri censeretur.

16
Ratio sacrificij in Eucharistia.

Hinc patet, in mysterio Eucharistia frustra rationem sacrificij queri in alia actione, quàm in consecratione: hæc enim abundè sufficit ad sacrificij rationem, siue sumptio dicenda sit pars illius sacrificij, vt à Christo est institutum, siue non. sicut enim sacrificium thymamatis, & omnium eorum, quæ igne offeruntur, consistit in conuersione illorum in suffitum, qui primariò ibi censetur offerri; ita sacrificium Eucharistia consistit in conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, quæ ibi principaliter offeruntur: & sicut ibi ad rationem sacrificij non est opus dicere, Offero tibi hoc incensum, &c. aut materiam sursum eleuare; ita nec ad rationem sacrificij altaris opus est vlla verbali oblatione, siue materia, siue rei consecrata, nec vlla eleuatione; sed hæc adhibentur vt preces & carimonie, quibus vel petimus exaudiri, & consequi fructum sacrificij, vel nos & alios excitamus ad considerationem eorum, quæ re ipsa geruntur, & ad internam reuerentiam, ipsa enim realis conuersio, ad honorem Dei à legitimo ministro facta, est sufficiens oblatio.

Non opus est verbali oblatione.

Nec refert quod exterius non præ se ferat speciem aliquam oblationis; quia nec ipsum sacrificium crucis exterius præ se fert formam oblationis; sufficit vt habeat rationem oblationis, quatenus subest intentioni offerentis, legitimam ad hoc potestatem habentis. Sed exactior horum tractatio alium locum postulat.

Petes, Si ratio sacrificij consistit in peremptione vel mutatione, quomodo illa reperitur in sacrificio crucis, cum Christus seipsum non interemerit?

17
De sacrificio crucis.

Respondeo, Etiam si Christus seipsum propriè non interemit aut occidit (non enim plagas illas & vulnera, ex quibus mors secuta est, sibi irrogauit; quod verbo occidendi significatur) tamen verè fuit causa voluntaria totius illius mutationis & mortis suæ: nam in potestate ipsius erat, vel tortorum vim infringere, vel eorum ictibus se subtrahere, vel efficere vt ictus inflicti nullam læsionem aut dolorem inferrent, vel vt dolore illato anima non migraret. Itaque cum sponte corpus flagellis & crucifixioni obiecerit & assidue exposuerit, nec vim ictuum, qui inferebantur, infringere, aut sæuitiam tortorum impedire voluerit, hæc perpessio & mors prorsus ei libera erat, & ab ipso, tamquam à causa passum applicante, procedebat. sicut enim qui adiuuet thuris igni, est causa suffitus, quem ignis naturaliter causat; ita qui corpus suum obijcit tormentis, est causa dolorum & vulnerum, quæ per tormenta inferuntur; quæ ratio causandi omnino sufficiens est ad rationem sacrificij, si alia adfuerint, vt patet in holocaustis.

Dices, Ergo passiones Martyrum sunt vera sacrificia.

Respond. negando consequentiam; tum quia non erant instituti à Deo sacerdotes ad huiusmodi sacrificium offerendum; tum quia perpessio & mors non erat in illorum potestate, nisi remotè: nempe quatenus poterant se tyrannis offerre, vel fuga eripere. Secus in Christo Domino; qui à Deo erat institutus sacerdos ad seipsum in sacrificium offerendum, & omnem perpessionem in sua potestate proximè constitutam habebat. Vnde Ioan. 10. ait, *Nemo tollit eam (animam) à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Martyrium mors non erat sacrificium.

Quartò, Ex parte finis requiritur vt explicitè vel implicitè referatur ad honorem Dei; si alio fine fiat, non erit sacrificium. sicut qui caput aperit non causa honorandi, sed irridendi, vel captandæ auræ, non adorat. Ratio est, quia sacrificium est in genere signorum, quibus æstimationem internam excellentiæ alterius & affectum seruitutis erga illum exprimimus. Si ergo hæc æstimatio & affectus desit, non erit verum signum, sed vel non erit signum, (vt si non fiat animo significandi:) vel erit fallum & mendax; vt si quis interius non habeat pro Deo, cui exterius adulatione vel timore sacrificat.

18
Finis interius sacrificij.

Quintò, Ex parte loci requiritur vt locus sit huic muneri dedicatus; qualem altare & aram vocamus. dignitas enim operis requirit locum specialem, ab vñibus profanis segregatum; vt mos omnium gentium confirmat; de quo satis dictum supra num. 7. Dixi, ista quinque requiri ad sacrificium perfectum, prout Scriptura de eo loquitur; quia ad imperfectum quendam sacrificij modum non videntur hæc omnia necessaria. tale enim fortasse singuli homines in lege naturæ offerre poterant, priuato nomine & auctoritate, & eo loco vbi placuisset: nam apud ethnicos simile quid videmus: sed talia non erant perfecta sacrificia; quia perfectio oblationis maximè penderet ex conditione offerentis.

Ex dictis intelligi potest quid sit sacrificium, & posse hoc modo describi: *Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro facta Deo per realem sacrificij immutationem, ad testandum supremum illius dominium & nostram subiectionem. Est oblatio, quia oblatio est genus sacrificij, vt docet D. Thomas quæst. 85. art. 3. ad 3. & communiter DD. quamuis hoc nomen aliquando strictè accipiatur pro oblatione, quæ solum est oblatio, non sacrificium. Rei sensibilis, vt excludatur interna oblatio, qua mens se suaque omnia Deo subijcit & offert; quæ non est propriè sacrificium, etsi perfecti huius fructum sacrificij præstet quàm sacrificia externa, & idcirco interdum sacrificium vocetur, vt paulò antè dictum est. A legitimo ministro; quia sacrificium habet relationem ad sacerdotem. cum enim sit excellentissimus & publicus Dei cultus, par est vt non fiat nisi à persona ad hoc publica auctoritate delecta. Per realem immutationem; tum quia est perfectissimus cultus, tum quia aliàs non distingueretur à simplici oblatione. Ad testandum supremum, &c. duo enim sacrificio significamus & testamur, diuinum principatum, & nostram subiectionem. & hæc significatio est sacrificio essentialis. Præter hanc quædam sacrificia habent significationem accessoriam, quæ mystica vel allegorica dici potest; vt, sacrificium sanctissimæ Eucharistia significat oblationem crucis;*

19
Descriptio sacrificij.

Duo testamur sacrificio.

eis, & sacrificium Melchisedech præfigurabat sacrificium Eucharistiæ. & omnia sacrificia veteris legis præsignabant oblationem Crucis vel Eucharistiæ. & valde credibile est, nulli sacrificium intinctu diuino fuisse oblatum in lege naturæ, quod talem significationem allegoricam non habuerit: omnia enim erant umbra Christum obscure insinuantes, & mentes hominum ad illum excitantes. hæc tamen significatio non pertinet ad rationem sacrificij vt sacrificium est. Vnde non fuisset, si Adam innocentiam conseruasset. Potest tamen dici pertinere ad sacrificium, vt est propria huius vel illius status carimonia. sed vberior horum tractatio alium locum postulat.

20 Dices, Ethnici etiam diis inferioribus, à quibus certa dumtaxat beneficia expectabant, quique alijs subiecti erant, sacrificium offerebant, vt Cereri, Mineræ, Plutoni, & alijs huiusmodi: ergo non solum supremum principatum sacrificio testantur.

Respondeo, Ethnici in sua Religione suoque cultu multa *deuota* & pugnantia inuoluebant: putabant enim diuinitatem esse in multa partitam, easque partes non esse eiusdem dignitatis & gradus, in omnibus tamen sacrificio colendam: qua in re partim errabant, partim verum iudicabant: etiam enim absurdissimum sit diuinitatem in partes secare, tamen generatim verum est omnem diuinitatem sacrificio esse dignam.

DUBITATIO III.

De diuisione Sacrificij.

21 Tribus modis diuidi potest. Primò, Ratione materia; nam materia vel erat animal ali- quod, vel erat res inanima, eaque vel solida vel liquida. Sacrificium animalis dicitur *victima* vel *hostia*. Vnde hæc nomina ducta, Grammaticos consulte. Oblatio rei inanimæ solidæ vocatur *immolatio*; quamuis hoc nomen etiam ad omne sacrificium extendatur. Oblatio rei liquidæ, *libamen*.

Vbi aduerte, libamina & immolationes esse sacrificia imperfectiora, quàm victimas: vnde apud Gentiles etiam dijs minoribus fiebant; quibus tamen victimas non offerebant, sed ordinariè tantum duodecim dijs maioribus. Porro in veteri lege victima solum constabat animalibus mundis istis, oue, capra, hædo, boue, vitulo, columba, passere, turture: neque aliud genus licitum erat sacrificare. Res autem inanimæ solidæ, quæ offerebantur in sacrificium, erant panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum. patet Leuit. 2. & 6. Hæc leuabat sacerdos in altum, varièque conficiebat & immutabat; in qua immutatione consistebat ratio sacrificij: nam panis in frustra dissecabatur; simila fartagine, elibano, vel craticula coquebatur; sal vrebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur. Liquidæ erant, sanguis, vinum, oleum, aqua. hæc effusione offerebantur.

22 Secundò, Diuidi potest partim ex forma, partim ex fine, in *holocaustum*, sacrificium pro peccato, & *hostiam pacificam*. *Holocaustum* erat sacrificium perfectissimum; quia in eo tota res in fumum resoluta, sursum ad Deum ascendebat, nihilque ex eo vsibus cedebat humanis. vnde expressius per hoc significabatur omnia ipsius esse, & ab ipso

prouenire. quare potissimum ad hunc finem fiebat; quamuis etiam interdum fieret pro peccato populi & sacerdotum.

Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in vltim sacerdotum, qui in attio templi ex eo vesciebantur. Offerebatur non pro peccatis internis, sed pro externis quibusdam, vt pro peccatis commissis per ignorantiam circa carimonia; vt patet Leuit. 4. & 5. Item furti, per- iurij, calumniæ; vt patet ex cap. 6. 7.

23 Notandum autem est, hoc genus sacrificij ab Hebræis vocari *Chartat*, quæ vox etiam peccatum significat. Vnde Apostolus eleganter ad Hebræam vocem respiciens dixit, ad Rom. 8. *De peccato damnauit peccatum*; quasi dicat, De chartat damnauit chartat, id est, per sacrificium Crucis, quod erat pro peccato, deleuit peccatum. & 2. ad Cor. 5. *Enim, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; id est, hostiam peccati constituit.

Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur, tum à sacerdotibus, tum ab ijs qui obulerant. Offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis; & tunc eodem die comedi debebat: vel ad noua beneficia impetranda, & tunc differri poterat eius consumptio in diem postero m, non tamen vlteriùs.

Tertiò diuidi potest ex fine in *λατρευτικόν*, *ευχαριστικόν*, impetratorium & propitiatorium. quæ diuisio parum differt à priore. *λατρευτικόν* dicitur quod solum fit ad Deum colendum, eiusq; principatû & nostram seruitutem testandam. hoc potissimum fit holocausto. *ευχαριστικόν* dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Impetratorium pro beneficijs accipiendis. vtrumque dicebatur in veteri lege *Hostia pacifica*. Propitiatorium siue *in asno* est quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum panis ac flagellis auertendis. Hoc idem est quod hostia pro peccato.

DUBITATIO IV.

Vtrum hoc tempore licitum sit offerre agnum vel vitulum.

24 Videtur id esse licitum: nam offerre sacrificium est legis naturæ; vt docet D. Thomas cum Cater. art. 1. & 4. vnde etiam in statu nudæ naturæ fuissent sacerdotes & sacrificia. fuisset enim cultus externus, quo Deum tamquam totius naturæ conditorem & Dominum fuissent venerati; qui cultus potissimum consistit in sacrificio.

25 Resp. & Dico Primò, Fore superstitionem si Christianus vel Iudæus huiusmodi sacrificium offerat.

De Iudæo patet, quia apud Iudæos hæc sacrificia cõtinent in se protestationem Christi venturi: offerunt enim illa vt à Deo in veteri lege instituta, sic autem sunt signa Christi venturi, abolita per Christi mortem, & sacrificium nouæ legis.

26 De Christiano probatur Primò, Quia in Ecclesia tantum est vnicum, verum, & propriè dictum sacrificium, quod omnibus veteribus sacrificijs successit, vt passim docent Patres. Vnde in Collecta Ecclesiæ dicitur, *Deum, qui legalium disferentiam hostiarum, vnus sacrificij perfectione sanxisti*. Sic D. Augustinus lib. 8. de ciuit. cap. vlt. probat, epulas illas, quæ à quibusdam sepulchris Martyrum solent imponi, non esse sacrificia Marty-

Sacrificia diis inferioribus oblata.

1. Diuisio, ratione materia.

Quibus rebus constabat.

2. Diuisio, ratione forme. Holocaustum.

Pro peccato.

Hostia pacifica.

Non esse licitum Christiano.

Martyrum, eò quòd vnicum Ecclesiæ sit sacrificium; satis infinuans non posse aliud auctoritate humana addi. Vide Chryostomum in Psal. 95. & Leonem Serm. 7. de Passione cap. 1. & 3.

Secundò, Sacrificium Ecclesiæ est infinita dignitatis, continens in se omnium sacrificiorum virtutem: ergo supersticiosum esset velle aliud addere, quasi illud non abundè sufficiat. idè enim plura instituntur, quia vnum ad omnia non sufficit.

Tertiò, Sacerdotium, quod est in Ecclesia, est supernaturale, institutum à Christo: ergo non respicit sacrificium Iuris naturæ, sed solum supernaturale ab eodem Christo institutum: sacerdotium enim & sacrificium sunt correlatiua eiusdem rationis & ordinis, vt ex cap. 8. & 9. ad Hebræos colligitur.

Quartò, Alia sacrificia ex institutione diuina sunt signa Christi venturi: ergo qui ea vsurpat, id sciens vel aliquo modo aduertens, externo ritu Iudaizat.

27 Quintò, Hoc ipso quo Christus nostrum Sacrificium & sacerdotium instituit, ademit potestatem Ecclesiæ alterius sacerdotij aut sacrificij instituendi. sicuti in veteri lege hoc ipso, quòd illorum sacerdotium & sacrificia præscripsit, ademit illis potestatem alia sacrificia adiungendi. Eodem modo si in lege naturæ Respublica institueret sacerdotium & sacrificia, eò ipso censeretur priuatos restringere, ne alia adiungerent: nam hæc res ad supremam potestatem propriè pertinet. Confirm. Quia sacrificium ad fundamenta religionis spectat, non minùs quàm Sacramenta: adeò vt Apostolus ad Hebr. 7. dicat, *translato sacerdotio (& consequenter etiam translato sacrificio, quod est connexum sacerdotio inseparabiliter) necesse est vt & legis translato fiat.* Vnde sicut Ecclesiæ non est relicta potestas instituendi alia Sacramenta; ita nec alia sacrificia. Vide Concilium Tridentinum sess. 2. cap. 2.

Nec obstat, quòd in Ecclesia thus offeratur; quia non offeritur in sacrificium; (intentio enim sacrificandi abest) sed adoletur ad odorem, & ad significationem; & vt mentes excitentur ad venerationem & deuotionem. vnde fit hominibus etiam vitis, & ab iis, qui non sunt sacerdotes.

Latè tamen interdum sacrificium dicitur, vt notat Caietanus art. 4.

Dico Secundò, Probabile tamen est, non fore superstitionem apud ethnicos, qui legem Christi ignorant, si vero Deo sacerdotes illorum talia sacrificia offerant: sic enim videtur sentire D. Augustinus epist. 49. q. 3. cum ait: *Qui Christianas litteras vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum quòd cõstruant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia; sed quòd hæc idolis & demoniis exhibeant.* Sentit ergo, non fore superstitionem, si offerantur vero Deo; alioquin id etiam culpandum esset.

Probat, Quia offerre sacrificium, est legis naturæ, vt docet D. Thomas q. 85. art. 1. quod dupliciter intelligi potest, Primò, Vt sit naturalis ad hoc obligatio, vel in singulis, quod minùs est verisimile, vel saltem in communitate, vt D. Thomas & Caietanus indicant. Secundò, vt non sit quidem obligatio, sed ratio dicitur id esse consentaneum, & suadeat. Lumen igitur naturale vel obstringit, vel suadet ethnicis sacrificiorum oblationem: atqui non apparet illis alia ratio sacrificandi, quæ sit conuenientior, quàm ea qua offertur aliquid ex animalibus vel frugibus terræ: ergo.

Secundò, In statu naturæ huiusmodi sacrificia fuissent licita, quia non habuissent aptiora aut congruentiora naturæ: cur non etiam modò sint licita apud Indos & Iaponios, cum alia diuinitus instituta non habeant?

Petes, Vnde illi haberent sacerdotes ad huiusmodi sacrificia idoneos? 29

Respond. Ex electione & dedicatione Reipub. Sicut enim Respub. perfecta Iure naturæ habet auctoritatem constituendi Principem, qui illam iustis legibus regat in iis, quæ ad politicam consuetudinem, & contractus pertinent: ita etiam potest constituere sacerdotem, qui eam regat in cultu diuino, & sacra administret, iuxta modum & capacitatem illius status. Et hic eam haberet potestatem in spiritualibus illi statui accommodatis, quam Princeps in temporalibus; deberetque Princeps ei subesse in iis quæ ad cultum diuinum pertinent: nisi fortè vnus idemque esset Summus Pontifex & Princeps; sicut Imperatores Romanorum olim erant, vt ex historiis constat.

CAPVT XXXIX.

De Decimis.

Habet Dubitat. 6.

DUBITATIO PRIMA.

An populus Christianus teneatur decimas soluere, & quo Iure.

D. Thomas art. 1. quest. 87.

1
Sententia
V. Wiclef.

THOMAS Waldensis lib. 2. doct. fidei antiquæ, cap. 64. & 65. refert Wiclefum docuisse, Primò, Decimas non esse vllò Iure sacerdotibus debitas, sed esse meras elemosynas. Secundò, Populum ad libitum posse & debere eas negare sacerdotibus, propter eorum peccata.

Sed fide tenendum est, decimas non esse elemosynas, sed subsidium sacerdotibus debitum propter ministerium spiritualium. Vnde sententia illa Wiclefi damnata est in Concilio Constantiensi sess. 8.

Probat, Quia Iure diuino & naturali, ministrantibus populo spiritualia debetur sustentatio; vt ostendit D. Paulus 1. ad Cor. 9. vbi inter ce-

2
Decima nò
sunt ele-
mosyna.

tera